

*Mr. Sallengre* Tom. 2. P. 2. p. 62. sqq. G.) ex quo tractatu pleraque excerpfit, et *Polyhistori* suo intexuit MORHOF. *part. I. lib. II. c. 9. n. 44. sequ.* Hanc methodum ergo et nos sequemur, sed ea vfi libertate, vt in ipso auctorum ordine pleraque, nostro arbitrio, mutemus. (Potest methodus ista tota adhiberi in institutione vnius aut paucorum aequalium: in publica schola Germaniae, vt vulgo esse solent, non potest. G.)

## III.

Primo itaque cursu, in quo singulari cura ac diligentia opus esse videtur, PHAEDRI fabulas, POMPONII MELAE geographiam, EVTROPIVM, et CORN. NEPOTEM euoluendos suaserim. *Ex primo* enim auctore vocum phrasiumque aliqua copia, *ex secundo* geographiae veteris notitia, *ex tertio* historia Romana, *ex ultimo* denique historiae Graecae non minima pars poterit hauriri. His vero praesidiis praemunitus, facile, ex mea quidem sententia, reliquos auctores omnes facilius intelliget.

*Qui auctores primo cursu perlegendi?*

Equidem FABER, pueri se adcommodans ingenio, loco PHAEDRI, quem difficiliorem pro tironum captu iudicabat, capita aliquot ex euangelio IOANNIS proposuit. † Sed non desunt mihi rationes, quare hoc consilium minus commendandum putem. Inquinatior est interpretis, quem vulgatum vocant, Latinitas, quam vt ab ea auspiciu fieri possit Latinae linguae: et nimis altas radices agunt, quae ista aetate imbibimus. Nec video, quid in PHAEDRI fabulis difficilius videri possit. Argumentum earum, si pauca paullo obsceniora omiseris, puerile

*Phaedrus.*